

§. VII.

Deciditur casus et firmatur.

Quaestionem paragrapho antecedenti prolatam affirmative decidendam esse, nullus dubito, itaque et contra Sempronium cum effectu Titium agere non posse, sed fideiussori quoque exceptionem Scti Macedoniani aequae ac filiisfamilias et patri competere omni iure statuendum credo, ad eamque sententiam arripiendam quibus sum commotus argumentis breviter exponam.

Primum argumentum pro hac sententia desumitur ex natura fideiussionis, quippe quae est *contractus accessorius, quo quis obligationem alterius maiorem in creditoris securitatem in subsidium, si a debitore principali ipsi satisfieri non possit, suscipit.* Fideiussioni ergo praecedere debet alius contractus principalis perfecte obligatorius, cui tamquam accessorium accedit, et ex qua suam determinationem recipit, hinc non existente obligatione principali, cogitari et vix existere potest obligatio accessoria p). Hanc tamen regulam generalem Leges ad eos casus restringunt, quibus fideiussor contra debitorem principalem
habet

p) per claram L. 57. ff. de fideiussor. ibi: *fideiussor antequam reus debeat conveniri non potest.* L. 16. ff. eod. ibi: *fideiussor obligari non potest ei, apud quem reus promittendi obligatus non est.* L. 46. ff. eodem ibi: *cum lex venditionibus occurrere voluerit, fideiussor quoque liberatur: eo magis, quod per eiusmodi actionem ad reum pervenitur.*